

D. D.

DISSERTATIO GRADUALIS

DE

ΕΡΗΣΚΕΙΑ τῶν ΑΓΓΕΛΩΝ

COLOSS. II: v. 18.

QUAM,

*Consensu Ampliff. Facult. Philosoph. in Illustri,
quod Aboæ Floret, Lyceo,*

Sub PRÆSIDIO,

MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI VIRI

D:NI I S A A C I
R O S S,

S. S. L. L. PROFESS. REG. & ORD.

Et FAC. PHIL. H. T. DECANI.

Publicæ Eruditorum censuræ modeste sistit

ALUMNUS REGIUS

INGEVALDUS NORDLING,

AUSTRO-FENNO.

IN AUDITORIO MAJORI V. D. DIE XII. DEC.

ANNI MDCCLIX.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc
Finland. JACOB MERCKELL,

S:æ R:æ M:tis
MAXIMÆ FIDEI VIRO
Reverendissimo PRÆSULI ac DOMINO,
**D: NO CAROLO
FRIDERICO
MENNANDER,**

S. S. Theologiæ DOCTORI
Consumatissimo,
Dioeceseos Aboënsis EPISCOPO
Eminentissimo,
Venerandi Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI
Gravissimo,
Scholarum per Dioecesin EPHORO
Vigilantissimo,
Regiæ Scientiarum Acad. Svecanæ MEMBRO
Dignissimo,

MÆCENATI SUMMO.



NE succenseas, MÆCENAS SUMME, quod opusculo huicce levidensi ex NOMINIS TUI splendore lucem fœnerari ausus sim. Sed erat præterea alia causa cur illud Oculis Tuis perspicacissimis subjicere minus vererer. Maxima illa beneficia, quibus me immeritum per omne temporis spatium, quo Academiam hancce frequentavi, abundantissime cumulare band gravatus es, exigebant omnino, ut aliquod extaret gratissimi TIBIque devotissimi animi monumentum a me erectum. Jam demum illuxit exoptatum illud tempus & occasio, qua favoris TUI Summi documenta, non quidem, ut debui & volui, sed tamen, ut potui & publice, celebrare licet. Serena igitur fronte incomtas has pagellas adspicias meque porro gratia & patrocinio TUO digneris, est quod humillime oro & obtestor. Mibi interea nihil prius, nihil antiquius erit, quam ardentissimas ad DEUM fundere preces, Velit TE, Reverendissime PRÆSUL, vita longeva beare in Sui Nominis gloriam, Patriæ, Ecclesiæ, Rei Literariæ & Familiæ TUÆ Nobilissimæ fulcrum & solatium exoptatissimum! Sic vovere nunquam intermitteret

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

cliens devotissimus,
INGEVALD NORDLING.

Amplissimo atque Celeberrimo VIRO

**D_{N.} ALGOTHO A.
SCARIN,**

Historiæ & Philos. Civ. PROFESS. Reg. & Ord.
Bibliothecæ PRÆFECTO & Societatis Litterariæ
Upsaliensis MEMBRO Gravissimo.

VIRO

Maxime Reverendo atque Celeberrimo,

**D_{N.} P E T R O
K A L M,**

Oeconomix PROFESS. Reg. atque Ord. PASTORI
in Pisis longe meritissimo, Acad. Reg. Stockh. So-
cietatisque Litterariæ Ups. MEMBRO dignissimo,
Horti Acad. Aboëns. PRÆFECTO maxime Inclito,
Consistorii Acad. ADSESSORI Adcuratissimo.

MÆCENATIBUS AD CI-

PRO tot tantisque in me collatis beneficiis Vobis, Mæ-
tum NOMINI Vestro Celeberrimo inscriptum of-
fitum sit viribus, quem ut Vultu Sereno excipere fa-
gnemini summa animi veneratione oro. Servet Vos
mentum, orbis literarii Ornamentum & Familiæ Ve-
vet & vo-

Celeberrimorum NOMI-

cultor devo-
INGEVALD

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo;

**D^N. HENRICO
HASSEL,**

Utriusque Svadæ Romanæ in illustri ad Auram
Lyceo PROFESS. Reg. & Ord. Consistorii Acad.
ADSESSORI Æquissimo.

VIRO

Maxime Reverendo atque Celeberrimo;

**D^N. DOCT. JACOBO
GADOLIN,**

Scient. Nat. PROFESSORI Reg. atque Ord. Regi
Acad. Scient. MEMBRO Dignissimo, utriusque Con-
sistorii ADSESSORI Gravissimo, Ecclesiæ Aboëns.
Fen. PAST. longe meritissimo,

NERES USQUE COLENDIS.

*cenates Maximi incomtum hunc juvenilis ingenii fæ-
ferre sustineo, cum præstantius quid in meis haud po-
poris que Vestri radios in me porro derivari non dedi-
Deus Opt. Max. in sue glorie laudem, Patriæ emolu-
stræ generosissimæ patrocinium firmissimum, sic vo-
vebit*

NUM VESTRORUM

tissimus,
NORDLING.

Perquam Reverendo atque Clarissimo VIRO,
D_N. JONÆ SALONIO,
Sacellano iⁿ Nagu Meritissimo
FAUTORI OPTIMO.

INgratus fane forem, nisi, qui plurimis in me collatis beneficiis TIBI maximopere obstrictus sum, occasione præsentis uterer ad meam erga TE pietatem publice testandam. Cum enim pro illis nihil præter gratam mentem, quod rependam, habeam, ejus quoddam monumentum ac tesseram opellam hancce TIBI dicatam reputes ac benigne, ut soles, excipias, obnixè rogo. Velit de cætero Summus rerum Moderator TE in feram usque ætatem salvum ac fospitem servare idque pro clementia sua efficere, ut rebus utaris nunquam non ex voto fluentibus. Sic vovet vovebitque, dum vitalis aura hos animat artus

NOMINIS TUI

cultor observantissimus,
INGEVALD NORDLING.



PRÆFATIO.

Sicut unicum modo existere supremum Numen clare docet ratio, ita idem solum religiose colendum invictè demonstrat, calculum suum addente Verbo revelato effatis evidentissimis. Utramque hanc veritatem pater quidem ille mendacii post humani generis lapsum nunquam satis deplorandum, mature admodum, introducto proh! polytheismo, labefactare conatus est. Hoc tamen non obstitit, quo minus inter ipsos etiam gentiles veræ sententiæ surgerent vindices haud trepidi, ob eam ne vitæ quidem dispendium detrectantes. Socratem, & quantum ea tempestate virum! propterea atheismi postulatum cicutam bibere jussum fuisse, notissimo notius est. Patrum e numero Lactantius inprimis plures ejusmodi confessores e paganis adducit. Quibus addendum, quod Celeberr. Walchius in editione, quam dedit opp. Lactantii, variorum meminerit auctorum, qui testimonia collegerunt hominum, extra cœtum fidelium degentium, & quidem haud infimi ordinis inter suæ ætatis Sapientes, huc pertinentia. Luce vero Christi-
A
stiani-

stianismi exorta perque orbem latissime diffusa, cum intelligeret genius malignus desperatam plane fore causam regni tenebrarum, si negotium illius, crassum istum in modum & per tam insulsum Polytheismum ac huc usque, fœtente jam ubique fere pagana superstitione, urgere vellet, alium eumque subtiliorem, nec specie carentem sapientiæ, pietatis, quin & demississimi in Deum animi, commentus est. Neque enim *practicum* illum *Polytheismum*, quem sic liceat appellare, vi cujus extra gratiam constituti mortales vel vanos & fluxos honores inanissimumque seculi splendorem ac pompam, vel Plutonium cum divitiis suis, vel res sensus crassiores titillantes, imo plura horum simul supremos Dominos agnoscunt, non quidem verbis & confessione, attamen vita & moribus iis ferventiori studio litantes, quam vero Deo, hunc inquam solum imperii sui finibus dilatandis satis sufficere judicans, *theoreticum*, sed forma & habitu externo priori sub paganismo multo speciosiore, in auxilium vocandum existimavit. Factum id jam ab ipso in ecclesia Apostolica, multiplicando cultus religiosi objecta. Excitavit scilicet hæreticos & falsos doctores, qui cultus angelici necessitatem, optima specie fidelibus inculcarent. Nec successu penitus destituta fuisse molimina veteratoris vaferrimi, utut successu longe minori, ac postea sub Papis factum, vel exemplum ecclesiæ Collossensis verbaque Apostoli Epistolæ ad illam Cap. 2. inprimis v. 18. docent. Cujus dicti, cum varie a
 variis

variis exponatur, explicationem, alterum edituri specimen academicum Divino freti auxilio, cætera imbecillitatis nostræ probe gnari, heic in nos suscepimus. Tuam interea L. B. benignitatem mitioremque censuram, qua par est observantia, nobis expetimus.

§. I.

Textus commatis illius, unde voces in hac oppella explicandæ, sunt desumptæ, in idiomate authentico ita legitur. *Μηδεις υμας καταβραβευεται θελων εν ταπεινοφροσυνη και θεησκια των αγγελων, α μη εαρεσκειν εμβατευων, ειη φυσουμεν υπο τω νοις της σαρκος αυτου.* Antequam ad ipsam rem propius accedamus, significatus varios paucis exponere liceat, quos habere possint & soleant vocabula *θεησκια*, & *αγγελ*.

§. II.

Vox *θεησκια* quæ descendit a *θεησκια* colo, veneror, censetur a nomine gentili *θεηξ* jonice *θηξ* orta. Orphæus enim Thrax ceremonias & ritus, quibus Dii colendi essent, invenisse fertur, a quo pleræque Græcæ gentes eos progressu temporis acceperint. Generatim notat cultum religiosum, sive sit verus, sive superstitiosus, ceu probatum dedit Svicerus Theff. Eccl. Tom. I. pag. 1405. & Elsnerus Obs. S. pag. 263. Speciatim vero adhibetur ad designandum cultum religiosum veri Dei, in ea enim significatione occurrit Act. 26. 5. ubi

Paulus ait: κατὰ τὴν ἀκρεβειάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας
 θεησκείας ἰησοῦ φαρισαίου. Eodem sensu Apostolus Ja-
 cobus κατὰ μὲν meminit θεησκεία in eo qui orphano-
 rum & viduarum rationem habet, Cap. I. v. 27.
 Porro sumitur pro idololatratico angelorum cultu,
 notat Stock. Clav. N. T. in voc θεησκείας.

§. III.

VOx ἀγγέλος ab ἀγγελλῆν nunciare in genere vi
 originis denotat nuncium vel legatum ad ali-
 quid exequendum ab alio missum, quemadmodum
 a Viris Doctis jam dudum observatum est. In hac
 significatione adhibetur hæc vox apud Lucam Cap.
 VII. v. 24. ubi nuncii Johannis vocantur græce
 ἀγγελοι conf. Jac. II. v. 25. Speciatim vero I:ο
 tribuitur Creatori Filio Dei, qui tum ante incar-
 nationem tamen cum respectu ad eandem, tum
 post incarnationem dicitur ἀγγελοϛ, & quidem ideo
 quia a Patre suo cœlesti tamquam nuncius & le-
 gatus missus est ad annunciandum atque manife-
 standum consilium & voluntatem Dei de æterna
 hominum salute Act. VII. comm. XXX. II:do tri-
 buitur creaturis cum visibilibus nempe hominibus,
 iisque vel cujuscunque negotii ergo missis. Luc.
 VII. v. 18. 19. 24. Cap. IX. 52. Jac. II. v. 25. vel
 ratione officii singularis, quod gerunt, ut Johanni
 Baptistæ Matth. XI. v. 10. Marc. I. v. 2. nec non
 Doctoribus Ecclesiæ Mal. II. v. 7. Apoc. I. v. 20,
 tum invisibilibus, substantiis spiritualibus, quæ ab
 hominibus & aliis creaturis omnibus ipsa sua na-
 tura

tura sunt distinctæ, quæque angeli vocantur, sive sint boni, qui in concreata bonitate sanctitate & iustitia perstiterunt, atque a Deo, obedientiam ipsorum gratiose remunerante, in bono ita confirmati sunt, ut in æternum non excidant, verum bonitate Dei perpetuo fruuntur: sive mali, qui sponte a Deo sunt aversi & originem suam non retinuerunt, verum proprium reliquerunt domicilium, quapropter Deus eos in iudicium magni Diei, vinculis perpetuis sub tenebris reservavit testante Apostolo Juda in Epist. v. 6. suntque in malo ita confirmati ut bene agere nequeant. Vid. iterum Stock. Clav. N. T.

§. IV.

Quibus præmissis nostrum jam est breviter disquirere, quidnam sibi velit Apostolus formula illa *θηροκεία τῶν ἀγγέλων*. Missis opinionibus, quæ ne tantillam quidem habent veri speciem, quo pertinet Ambrosiaster ille stellas hic per angelos intelligens, tres potissimum sententiæ heic veniunt perpendendæ, quarum 1:a esto Braunii contendentis legatos, sive primores ministros, Principes illius seculi, qui vel a magno synedrio vel a quolibet cœtu ad gubernandam congregationem constituti fuerint, ut Patrum traditiones ipsis exponerent per angelos innui eosque notari cultum. Hos enim putat a Judæis veneratione singulari exceptos esse. Vide sententiam ejus in selectis sacris pag. 128. Sed eam ita comparatam esse, ut nulla

veri specie se commendet, facile intelligitur. Nam ut non dicam vocem *θεοκρατία* de tali veneratione vix ac ne vix quidem adhiberi potuisse, quippe quam ultra cultum civilem non est credibile assurrexisse, ruinoso fati fundamento hæc opinio superstruitur scilicet hoc quod per *ἀρχαῖς* & *ἱερασίας* v. 15. Præsides & Doctores Judæorum ipsumque imprimis synedrium tantum intelligantur, quæ Christus omni potestate exuerit, ipsemet, tanquam Rex spiritualis, solum totius Christiani orbis occupans. Quamvis miram hanc interpretationem, præter Braunium magni utique viri suam fecerint utpote Coccejus, Schottgenius, Røellius, Outhonius, Zornius, immo e nostratibus Deylingius & Langius; sufficienter tamen eam refutasse videtur Cl. Wolf. in curis Phil. ad h. l. pag. 320. Accedit, quod eodem Wolfio observante, illa vocis *ἄγγελοι* significatio a N. Testamento omnino exulet.

§. V.

Succedat jam altera sententia eaque receptissima, quæ id quidem cum præcedenti habet commune, quod *ἄγγελοι* h. l. accipiat objective sive pro objecto, non subjecto cultus, in eo vero vel maxime dissentit, quod non certos homines cum Braunio hic per angelos intelligat, sed spiritus finitos completos ac omnis materiæ expertes, a Deo in summa sapientia justitia atque sanctitate creatos inque ea persistentes qui in scriptura sacra angeli vel simpliciter, vel cum addito sancti, lucis &c. vocantur,

vocantur, statuatque fuisse in ecclesia Collofensi homines qui Christianis persuadere vellent, summæ esse arrogantiaë Sanctissimum Numen in precando immediate accedere, proinde precibus implorandum esse angelorum opem, ut illis mediatoribus ac necessitatibus quasvis hominum commendantibus, clementer votis illorum annuat: æquum itaque esse ipsos angelos cultu quodam religioso prosequi, & ad illos primum desideria sua dirigere. De cætero quosnam cultus angelorum præcones hic potissimum apostolus notarit, utrum paganis, an judæis, an vero etiam Christianis annumerandi sint? mire inter se variant Philologi & interpretes, quos fusius, ut alios taceamus recensent Wolfius l. c. pag. 328. & Heumannus in *erkl. des N. T.* ad Colloff. II: v. 8.

§. VI.

Verum nostra in primis ætate viri exitere eruditissimi, qui ab utraque hac interpretum classe secessionem facientes argumentis speciosissimis evincere conarentur τὸ ἀγγέλων h. l. minime objective sumi posse, sed subjectum potius innuere, in quo concipiatur θεησιμία illa: proinde integram hanc formulam θεησιμία ἀγγέλων verti debere *cultu*, verba sunt Wolfii, *angelico* h. e. tali cultu & habitu, quo angeli instructi sunt & qui angelos præferat & mentiatur, vel, ut Schœtgenius loquitur *cultu, reverentia & modestia, quali angeli ornati esse solent*. Rationes, quibus huic sententiæ robur concii-

conciliare nituntur. summam indicat Cl. Wolf. in Cur Philol. & Crit. ad h. l. p. 327. Præter auctoritatem Lutheri, qui vertit in *Geistlichkeit der Engel* h. e. ut Wolf. exponit, habitu angelos decente, item Zeltneri ac Schoetgenii, reliquæ huc fere redeunt: Im id quidem ut præclarum in scriptura repræsentetur, cum angelis conferri solere, quam in rem citat Act. VI: 15. & Luc. XX 36. ubi beati dicuntur *ισάγγελοι* futuri, unde nihil obstare putat, quin *θησκέια ἀγγέλων* ea dicatur quæ in angelos cadat, quæ angelos deceat. Deinde vocem *θησκέια* nusquam adhiberi cum voce, verbi causa, *θεῶν* aut alia, quæ objectum inferat, in quod *cultus* tendat, sed simpliciter de cultu religioso poni, quod ex Svicero, Elsnero & adductis quibusdam scripturæ locis probare conatur. Hinc colligit non magis *θησκέια τῶν θεῶν* vel *τῶν ἀγγέλων* tanquam illorum, in quos cultus feratur, dici posse, quam vox *εὐσεβεία* idem admittat: ab altera vero parte *θησκέιαν* jungi *subjecto*, in quo cultus deprehendatur citato hanc in rem Jac. I. 26. Præterea & 3:0 Paulum, dum v. 23. hujus Capitis *ἔθελο θησκέιαν* una cum *κατακλινοφροσύνη* simpliciter sine addita voce *ἀγγέλων* commemoret, non obscure significare, se in antecedentibus de singulari & *affecteda* quadam religionis specie loqui, quæ ordinariam excedere simplicioribus videri possit. Quin & 4:to Apostolum talia de falsis illis doctoribus *cesser*, quæ eo pertineant ut omnia religioni postponere, nec ipsi corpori valetudinique parcere viderentur.


Imo abstinentia sua eo incautos adducere potuisse, ut humana conditione majores esse viderentur &c. Denique & 5:o Vix Apostolum pro scopo, quem quærebat, cultus angelis præstari soliti hic speciatim meminisse potuisse, qui potius in eo fuerit, ut a ceremonialibus animos Collossensium avocaret. Quibus addi tamquam 6:ta ratio potest, quod Cl. Heumannus putat, plerosque interpretes, dum supposuerint de Philosophis sermonem esse, qui angelos adorarint, propterea necessario multa hujus Epistolæ loca perperam exposuisse vid ejus *Erfl.* p. 508.

§. VII.

Negari profecto nequit, sensum quem viri præstantissimi §.o proxime antecedenti tribuunt phrasi Paulinæ, nihil incommodi habere, tantum abest, ut analogiæ fidei repugnet, nec argumenta, quibus sententiæ suæ robur conciliare sive Wolf, sive alii qui cum ipso faciunt, nituntur, sua vel ingenii vel eruditionis laude defraudanda sunt. Interim ita mihi videntur comparata, ut præter possibilitatem sensus, quem eorum auctores elegerunt, nihil fere præterea evincant, saltem iis solis nemo certus reddi possit, eum & non alium verborum Pauli sensum *actu* heic habere locum. Nemo igitur mirabitur si me iis nondum a communiori sententia, quæ in quadam velut possessione veritatis tantisper posita censeri possit, defen-
B
denda

denda dimoveri patiar. Quæ generalius dicta sufficere fortasse poterant. Nec grave tamen erit ad singula quædam monere. Ad I:um quod attinet, conceditur *nihil ob stare quominus verba θεησκεία ἀγγέλων dicatur, quæ in angelos cadat eisdemque deceat*, sed cum limitatione: modo ne in quovis, nedum in hoc contextu. Nam plura obstant, quominus sub his circumstantiis Viri Doctissimi opinioni assurgam. Eadem fere oggeri Celeberrimo Heumanno possunt, qui loci citati p. 544. Hebraïsmum hic adesse putat, de quo Glass. p. 563. agat. ut enim nihil de eo moneam Hebraïsmum non ubi-vis fingendum citra rationem esse, (nisi totum N. Testamentum in Hebraïsmum convertere velis) sufficit, quod inde, ultra posse sic esse, nil confici queat. Quis autem ob possibilem Hebraïsmum ad æctualẽ concluderet? Quæ in 2:do argumento contra receptam adducit Wolf. expositionem ea plane falsa sunt. Nam Eusebius Hist. Eccl. L. 6. C. 41. θεησκείαν τῶν δαιμόνων dixit cultum superstitiosum paganorum. Nec in 3:o ulla est vis concludendi. Summo enim jure dissentientes dicere possunt, cultum ejusmodi angelorum, qualem sub verbis apostoli intelligunt esse speciem ἡεροθεησκείας. Hinc etiam Seb. Schmidius & alii, qui ἀγγέλων de objecto cultus exponunt, verba nostra ex hac ipsa voce & toto versu 23. illustrant, quare potius inverti argumentum posset. Similiter de 4:o merito sentiunt Nam proferunt ex eodem seculo, quo scripsit Paulus, exempla hominum, qui angelorum cultum

cultum inculcarent sedulo & simul tamen, ut huic dogmati cæterisque erroribus suis speciem conciliarent, omnia religioni postponere, nec ipsi corpori valetudinique parcere videri vellent. Hinc quid 5:0 reponi possit argumento non difficile est divinare. Quoniam iidem, qui angelos colendos urgebant, ceremonialia simul, immo ultra hæc plura præcepta, inculcabant, ideo potuit apostolus utriusque *speciatim meminisse*, neque ob hoc *scopi* immemor judicari. Unius enim positio non est alterius exclusio. Tandem nec id moror, quod Dominus Heumannus monet de perversis hujus Epistolæ interpretationibus ex supposito sensu vocum receptiori oriundis. Id enim ne verbo quidem probare annisus est. Dictatorias autem voces in orbe litterario non reformidamus. Sit ita, multos eorum, qui communi expositioni calculum addunt, circa mentem Pauli quibusdam in locis errasse, num inde statim sequitur, id ideo factum, quia eum contra angelolatras disputare crediderint?



Clarissimo Domino CANDIDATO &
AUCTORI,

Studiorum meorum Moderatori Optimo.

Quanto propior quis ad metam, eo major exoritur
læticia non solum in stadio currenti sed etiam omni-
bus qui eidem bene cupiunt. Horum in numero me
ex primis habes, Informator Clarissime, Tibi quippe ob-
strictissimum. Innumeris enim documentis salutem meam
fratrisque Tibi curæ cordique esse demonstrasti, ac etiamnum
quotidie demonstras. Saluberrimam literarum cognitionem
morumque correctionem quibus aptiores redditi sumus ad
scopum illum præstantissimum, quem in nobis creandis Tibi
propofuit Numen sapientissimum idemque benignissimum Ti-
bi Tuæque incomparabili diligentia debemus. Maxime ve-
ro præ ceteris, qui ex ore pependunt Tuo ego in ære
Tuo sum, qui indefesso labore Tuo eo me perductum
gratissimus agnosco, ut a perspicacissimis rerum æ-
stimatoribus dignus censerer qui florentissimæ civium Aca-
demicorum adjungerer coronæ, quo Via mihi ad ulterio-
res in Scientiis progressus exoptato patefacta est. Non
itaque mirum si tot beneficiis obstricta mens maximo per-
fundatur gaudio, dum Pallatis lauream Te, cursu Philo-
sophico laboribusque Academicis jam absolutis, latum ex-
spectare video. Nec ferenum magis alium mihi esse diem
quam quo præmia virtuti digna tuum condecorabunt sinum,
ac remunerabitur industria, curaque nostræ felicitatis a Te
fidelissime habita. Vivas, Informator exoptatissime, in glo-
riam Dei opt. Max. Patriæ rei que litterariæ emolumentum
ac decus, cognatorum & amicorum gaudium, meisque in-
comtis hisce lineolis pro insita Tibi bonitate ignoscas. Id
autem simul obnixè peto ut nunquam facere desinas

Tui amantissimo obstrictissimoque
cuTORI,

CLAES CLAESSON.